

cessariò supponi in hâc Sede fidei puritatem quovis momento inviolatam; adque id reverà non rarò expresserunt, uti jam videre est apud **S. Iræneum** (loco. cit., p. 148). — Hinc etiam Sedis illius iudicium in materiâ fidei habent tanquam statim decisivum.

Sic, v. g. narrat **Sozomenus** (*Hist. eccl.*, l. VI, c. 22): « Cùm » quæstio (de Spiritûs Sancti consubstantialitate) ageretur, et con- » tendendi studio magis magisque in dies cresceret, Episcopus Urbis » Romæ, re compertâ, scripsit ad Orientis ecclesias, ut Trinitatem » consubstantialem et honore gloriâque æqualem, unâ cum Occiden- » talibus episcopis, confiterentur. Quo facto, utpote controversiâ iudi- » cio Romanæ Ecclesiæ terminatâ, singuli quievêre; eaque quæstio » finem tandem accepisse visa est (τὸς ἐξείν ἐδόξεν). » — Sic et **S. Augustinus** adversùs Pelagianos causam finitam tenet, ubi *Sedis apostolicæ rescripta venerunt*. (*Sermo* 131, in fine, V. cit. suprâ, p. 59), licèt nondum, uti Gallicanis placeret, totius Ecclesiæ consensus constare potuerit (1). Hinc et idem S. Doctor ad hæresim arianam: « Cognosceris jam quæ sis, omnibus palàm facta es qualis » sis. Non crederis veram fidem tenere Catholicæ, quæ fidem non » doces esse servandam romanam. » (*Sermo* CXX, *Accedentibus ad gratiam*, ap. Mai, *Nova. Bibl.*, t. I, p. 273). — Hinc **S. Epiphanius** de Apostolo Petro: « Omnibus quippe modis in eo stabilita fides » est, qui cœli claves accepit, et in terrâ solvit et ligat in cœlo. In eo » siquidem subtiliores quælibet fidei quæstiones reperiuntur » (*Ancoratus*, c. ix). — Hinc **S. Petrus Chrysologus** ad Eutyche- tem: « In omnibus autem hortamur te, frater honorabilis, ut is quæ » à beatissimo Papa romanæ civitatis scripta sunt, obedienter atten- » das: quoniam *B. Petrus qui in propriâ Sede vivit et præsidet,* » præstat quærentibus fidei veritatem. Nos enim, pro studio pacis » et fidei, extra consensum romanæ civitatis Episcopi causas audire » non possumus. » (Inter epist. S. Leonis; *Ep.* 23, n. 2). — « Habet » enim sanctissima illa Sedes, pergit **Theodoretus** jam citatus » (p. 123), ecclesiarum quæ in toto sunt orbe, gubernium multis ti- » tulis, atque hoc ante omnia, quòd ab hæreticâ labe immunis man-

(1) V. Petit-Didier, op. cit., ap. Migne *Theol.*, t. IV, p. 1492; Ballerini, *ibid.*, t. III, p. 1071.

» sit, nec ullus contraria sentiens in illâ sedit, sed apostolicam gra- » tiam integram conservavit... » — Illam porro fidei romanæ invio- latam puritatem, quæ apud omnes Patres palmaris est, non *de facto* tantùm affirmant sed *è promissionibus Christi* repetunt, uti authen- ticè videre est tum ex *Epistolâ S. Agathonis Papæ ad Con- stantinum Pogonatum* à toto Conc. gen. VI approbatâ, quæ nempe illam Sedis apostolicæ « illibatam fidem » magnificè proclamat simul- que ab istâ repetit *divinâ pollicitatione*: *Ego autem pro te rogavi, etc....* (1); — tum etiam à **Formulâ Hormisdanâ** suprâ citatâ; quæ nempe, ut necessitatem communionis cum Sede apostolicâ di- rectè proclamat, *immaculatam semper in hâc Sede Religionem* prius memorat, illud etiam repetens ab illâ, *quæ non potest prætermitti, Domini nostri Jesu-Christi sententiâ dicentis: Tu es Petrus, etc....*

Hinc et videre est ex ipsis Græcis quotquot sanctos ac pios, per plura sæcula recurrere « ad apostolicam Sedem, ubi orthodoxorum dog- matum fundamenta existunt (2) », dicentes cum **S. Maximo** Ab- bate (VII^o sæc.): « Omnes enim orbis terrarum fines et qui ubique » gentium Dominum verè rectâque fide confitentur, *velut in solem » sempiternæ lucis, in sanctissimam Romanam Ecclesiam ejusque » confessionem ac fidem rectâ intortis oculis respiciunt....* Ab initio » enim, quando ad nos Dei Verbum assumptâ carne descendit, uni- » cam firmam basim ac fundamentum omnes ubique Christianorum » ecclesiæ, quæ ibi est, maximam nactæ sunt habentque Ecclesiam, » ut in quam, juxta ipsam Salvatoris promissionem, portæ inferi » haudquaquam prævaluerint, sed *quæ rectæ fidei in Ipsum ac con- » fessionis claves habeat, etc.* » (*Opuscula theol. et polem.*, Migne, *Patr. gr.*, t. XCI, p. 138). — Item et **S. Theodorus Studita** (IX^o sæc.) adversùs hæreticos iconomachos triumphat, « qui seipos » avulserunt à corpore Christi, à supremo throno (Petri scilicet) *in » quo Christus posuit claves fidei* » (*Epist.* 63 *ad Naucratiunum*, ap. Migne: *Patrol. gr.*, t. CIX, p. 1282). « Mittenda est, inquit, ad » Romanum Episcopum ex utrâque parte legatio, *et inde fidei acci- » pienda certitudo* (τὸ ἀσφαλὲς τῆς πίστεως). » (*Epist.* 129, *ad Leo-*

(1) V. totum hunc locum ap. Petit-Didier, p. 1223, 1224.

(2) E. S. Sophronio Hieros. ad Stephanum Dorensem, ap. Labbe, t. VI, p. 104.

nem Sacellarium, ibid. p. 1419). — Nec adeò mirum igitur, si Græcorum legati ad **Concilium gen. Lugdun. II** ultrò subscripserint non modò *Primatui Papæ* (utì suprà visum est, p. 136) sed et his immediatè sequentibus : « Et sicut præ cæteris tenetur (R. Pontifex) » fidei veritatem defendere ; sic et *quæ de fide subortæ fuerint quæstiones, suo debent iudicio definiri* » (1).

Hinc et apud nos vetus ac verax Ecclesia gallicana non modò, VI^o sæc., Formulæ Hormisdanæ complauserat (2), — sed et, VIII^o sæc., ita per **Aleuinum** profitebatur : « *Ne schismaticus inveniatur et non catholicus, sequatur probatissimam sanctæ Romanæ Ecclesiæ auctoritatem* : ut unde catholicæ fidei initia accepimus, inde exemplaria salutis nostræ semper habeamus ; ne membra à Capite separentur suo ; ne Claviger regni cælestis abjiciat quos à suis deviasse intelligit doctrinis. » (*Epist. 90, ad fratres Lugdunenses, circa errores Hispanorum*; ap. Migne *Patr. lat.*, t. C, p. 293). — Cfr et ipsos *Libros Carolinos*, l. I, c. vi, ibid., t. XCVIII. p. 1019, 1021. — Ita et, IX^o sæc., per **Hinemarum** : « De omnibus dubiis vel obscuris quæ ad rectæ fidei tenorem vel pietatis dogmata pertinent, sancta Romana Ecclesia, ut omnium ecclesiarum mater et magistrâ, nutrix ac doctrix, est consulenda, » et ejus salubria monita sunt tenenda... » (*De divortio Lotharii, Præf.*, ap. Migne *Patr. lat.*, t. CXXV, p. 629) — « *Piis, devotis atque catholicis hoc potest et hoc debet sufficere, quod omnium Ecclesiarum mater, sancta, catholica atque apostolica docet Romanam Ecclesiam...* » (*De Prædestin. dissert. post.*, ibid., p. 214). — Ita demùm et XII^o sæc., per piissimum Doctorem nostrum **S. Bernardum**, qui nempe ad apostolicam Sedem deferenda ducit « pericula quæque et scandala emergentia in regno Dei, ea præsertim quæ de fide contingunt. — *Dignum namque arbitror, inquit, ibi potissimum resarciri damna fidei, ubi non possit fides sentire de-*

(1) Gallicani non aliud repererant medium ad diminuendam vim hujus textûs, quàm subaudire verba *præ cæteris* etiam in 2^a parte propositionis, ut contenderent, *in fidei quæstionibus, præcipuas tantùm S. Pontificis esse partes*, non autem *irreformabile iudicium*. — Quod inutile est hodie amplius discutere.

(2) *V. Epist. S. Aviti Viennensis ad S. Hormisdam Papam*, ap. Labbe, T. IV, p. 145.

» *fectum. Hæc quippe hujus prærogativa Sedis. Cui enim alteri ali-* » quando dictum est : Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides » tua ?... etc. » (*Epist. ad Innocentium II, contra Abælardi errores*).

Ex his igitur omnibus satis apparet quòd, vel in antiquioribus sæculis, etiamque apud illas ecclesias quæ, in recentioribus, minimùm prærogativis Papalibus faverunt, Infallibilitas papalis nunquam fuit prærogativa penitus ignorata. Verùm, ut pronom ac logicum erat, omni ætate, omni que regione, his generatim qui Romanum Pontificem centrum Ecclesiæ essentialia agnoscebant, plùs minùsve distinctè perspecta etiam fuit necessaria ejusdem Infallibilitas.

Objiciunt quidem, contra illam hujusce traditionis generalitatem, tum, *in genere*, praxim Conciliorum, tum, *in specie*, sententiam, ut putant, quorumdam Patrum, maximè ex Africanis.

I^o nempe, inquirunt, « si Patres generatim ita perspectam habuissent Infallibilitatem S. Pontificis, 1^o non Concilia in quæstionibus de fide existimassent adeò necessaria, aut certè 2^o in his sententiam non tulissent, sed potiùs à Pontifice Romano accepissent; præsertimque 3^o hujus sententiam, ubi jam latam esse contigit, examinare non præsumpsissent. — Atqui tamen hæc tria per totam historiam ecclesiasticam constant. — Ergo non communiter agnoscebatur Pontificia Infallibilitas. » (Ita Bossuet, Tournely, etc.).

Resp. : 1^o Patres Concilia sæpe existimaverunt necessaria ut Pastores ipsique forsàn aliquando S. Pontifices faciliùs dignoscerent quæ sit Traditio ecclesiastica et quænam esset tunc opportunitas eam definiendi. Infallibilitas enim, sive in Pontifice, sive in Pastorum corpore, non *revelationem* neque *inspirationem* importat sed tantùm *assistentiam* (V. suprà, n. 15), ideoque non excludit necessitatem inquisitionis vel deliberationis ad sententiam formandam et promulgandam, sed tantùm excludit periculum erroris in eà ubi definitivè promulgabitur. — Imò

2^o non inutile existimarunt ut Pastores, in Conciliis, non theologorum tantùm partes agerent sed Pastorum reverà et fidei iudicium, ideoque, etiamsi S. Pontifex jam sententiam tulisset (1), et ipsi quo-

(1) Cfr Thomassinum : *Dissertationes in Concilia*, Diss. I, n. 1-12, sub hoc titulo : *Ante œcumenicas synodos fidem prædefiniit Sedes romana et quasi Synodis prævit et dictavit quod sequerentur.*

que sententiam ferrent : inde enim utriusque infallibilitas (V. in art. seq.) utriusque consensione magis emicans, hæreticos, si forte fieri possit, ad submissionem magis movebit; quemadmodum ferè quotidie auctores argumento etiam per se decisivo argumenta alia adicere non timent.

3º Simili etiam ratione, rem, quasi de novo, tractare in Concilio aliquando non abnuerunt, ideoque examinare et confirmare sententiam S. Pontificis; — etiamque quando constabat ei jam accessisse totius Ecclesiæ consensum (quod profectò eam, ex ipsis Gallicanorum principiis, jam irreformabilem fecerat); — vel quando et ipsi insuper jam significaverant se habere illam ut irreformabilem. — Etenim, ut observat ipse S. Leo M. (1), « ipsa quoque veritas et clariùs renitescit » et fortiùs retinetur, dum quæ fides priùs docuerat, examinatio confirmari... etc. » — Ideoque nec S. Pontificis solum sed et ipsorum Conciliorum œcumenicorum sententiam Concilia œcumenica subsequenter nonnunquam examinarunt et confirmarunt, licet omnes certè illam omninò irreformabilem jamdudum tenerent (2). — Unde abundè liquet non hanc sententiarum pontificiarum tractationem de novo et confirmationem, neque totam generatim Conciliorum praxim quidquam officere ne S. Pontifex habitus sit per se infallibilis (3).

IIº Patrum quorundam, maximè inter Africanos, objiciunt « sive agendirationem, uti S. Cypriani, sive quosdam locos, uti S. Augustini. »

Resp : 1º De S. Cypriano quidem nonnulli suspicati sunt quòd

(1) *Epist. CXX, ad Theodoretum*, c. 1 (quod legatur totum ap. Migne *Patr. lat.* T. L, p. 1046, cum *notis* Ballerini, vel gallicè ap. Rohrbacher l. XLI). — De iis autem quæ hæc mente videntur facta tum in Conc. Ephes. gen. III circa sententiam S. Cœlestini P. in Nestorium, tum in Conc. Chalced. gen. IV circa sententiam ipsius S. Leonis P. in Eutychem, V. Muzarelli : *De Auctoritate R. Pont. in Conciliis gen.*, c. VII, VIII, T. II; — Ballerini : *De vi ac ratione primatús...*, c. XIII, § 11, 13; ap. Migne *Theol. T. III* p. 1086 et ss.; — et cæteros auctores indicatos ap. Blanc : *C. d'hist. eccl.*, l. LXIV, 3; LXXI, 3; itemque XCIV, 4; CIV, 4.

(2) V. plura exempla sive ex antiquis Conciliis sive è recentioribus, putà Florentino et Tridentino, indicata ap. Marchetti : *Crit. de l'hist. eccl. de Fleury*, 1º P. § X. — Cfr et P. Bottalla, op. cit., T. I p. 195.

(3) Cfr Ballerini : *De Potestate S. Pont. et Conc. gen.*, c. II § 1; ap. Migne *Theol. T. III* p. 1289 et ss.

ille necessariæ communionis cum S. Petri Cathedrâ tam strenuus assertor (V. suprâ, p. 119) infallibilitatem successoris S. Petri inde consequentem minimè perspexerit, quum adeò restiterit *definitioni*, ut putant, S. Stephani Papæ in controversiâ Rebaptizantium (1). — Multa tamen suadent non obstitisse S. Cyprianum decreto pontificio nisi quia, prout illud edicebatur, præceptum disciplinare potiùs videbatur quàm iudicium dogmaticum; aut certè, etiamsi iudicium dogmaticum illic expressum aut implicitum haberetur, non præ se ferebat conditiones ex usu tunc requisitas ut haberetur definitio *ex cathedrâ* (V. infrâ p. 164) (2).

2º De S. Augustino autem quædam quidem proferuntur quæ *ad hominem* videntur contra Donatistas dicta (3) : sic, v. g., quando asserit S. Cyprianum *sine dubio cessurum* fuisse « *si jam illo tempore quæstionis hujus veritas eliquata per plenarium Concilium solidaretur* » (*De Bapt.*, l. II, n. 5), illum opponere intendit Donatistis qui nec ipsi Concilio Nicæno cedebant (cfr *ibid.* n. 14). — Quænam autem fuerit mens S. Doctoris, satis suprâ vidimus è notissimis ipsius verbis : *Causa finita est.*

3º « Denique (ut observat D^r Charlas : *Tr. de Lib. eccl. gall.*, l. X, c. IX, n. 12), si verum esset (*quod non concedimus*), S. Augustini » num illi sententiæ favisse quæ non errandi privilegium soli Concilio œcumenico tribuit, imò totam Africam in agnoscendâ S. Sedis auctoritate in materiis fidei, vel in aliis etiam, v. g. in appellationibus » (V. infrâ, n. 46) difficilem se aliquandò præbuisse, meminisse oportet.

(1) Ita Charlas : *Tr. de Libertatibus eccl. gallic.*, l. X, c. VIII, n. 2, 10; et Cardin. d'Aguirre : *Auctoritas Cathedræ S. Petri*, Disp. XLI, S. I; qui, cæterum, rectè in hoc animadvertit confirmari potiùs è victoriâ definitivâ Stephani, quàm è negatione Cypriani infirmari pontificiam infallibilitatem (*ibid.* n. 5, et cfr DD. Freppel suprâ cit., p. 132).

(2) Ita Nat. Alexander : *Hist. eccl.*, sæc. III, Dissert. XII, art. 4 (præsertim cum *animadversionibus* Mansi); — ita et Zaccaria : *Antifebronius*, T. III p. 417 et ss. (trad. Peltier); — Ballerini : *De vi ac rat. Prim.* l. cit., p. 1029, 1075; — *Etudes des P. Jésuites*, août 1866, p. 487. — Cfr, et in totam hanc rem *Dissertationes* quasdam speciales ap. Migne *Patr. lat.*, T. III, p. 1273 et ss.; ac præsertim R. P. Bottalla, op. suprâ cit., T. I p. 155-173.

(3) V. Ballerini, loco modò cit.; — Charlas, item c. IX; — Bouix : *De Papâ*, T. I p. 337 et ss.

» ret Deum, qui non omnia simul omnibus solet clarè manifestare
 » sed per partes et gradus prout ipsi placet, ad hanc cognitionem tan-
 » dem Africanos perduxisse, imò quasi necessitate pertraxisse.»

Verùmenimverò, hæc omnia è Traditione pro *directâ* pontificiâ Infallibilitatis demonstratione allegare vel discutere non est nisi *ad abundantiam juris*. Etiam si enim daretur plures vel pauciores in Ecclesiâ, vel ab ætate Patrum, non perspectam habuisse Infallibilitatem papalem, aut etiam contrarium, per modum *opinionis*, tenuisse — quemadmodum, in recentioribus sæculis, videre fuit apud nos; — hoc certè nihil officeret, dummodò probatum maneat illos ipsos semper tenuisse dogma ab omni antiquitate catholicum de existentia Centri et Capitis in Ecclesiâ essentialis et de necessariâ cum illo communione. Hoc enim explicitè credendo, Infallibilitatem papalem, velint, nolint, implicitè crediderunt; quippe quæ ita in hoc inclusa erat ut inde, sicuti suprâ demonstratum est (n. 40), absque ullius extraneæ notionis adductione, logicè, evolvi debuerit. (Quod profectò, vel absque ullis explicitis testimoniis, ad ipsius *definibilitatem* sufficere potuisset, uti dicitur infrâ, Cap. III^o, ubi *de diverso modo quo veritates in Revelatione contineri possunt*).

43. — Quandonam Papa doctrinam Christi infallibiliter doceat? — Jam igitur infallibilitate papali tum indirectè demonstratâ, tum directè confirmatâ, — tota quæstio erit in dignoscendo quandonam Papa infallibiliter doceat seu, ut aiunt, loquatur *ex cathedrâ* (Petri scilicet), doctrinalem Petri auctoritatem *plenè* exercens, proindeque annexâ ei infallibilitate tunc certè gaudens. Illud porro non ita pridem plures Gallicanismi fautores alligatum affectabant habere conditionibus aut adeò intricatis ut earum adimpletio non alio constare posset medio quàm consensu Ecclesiæ (1), — aut, è contrâ, adeò simplicibus ac communibus ut inde pro infallibilibus haberi debuissent non pauca Pontificum Romanorum dicta vel scripta in quibus

(1) Ita quidam moderatiores, uti se existimabant, inter Gallicanos. Quibus cæteroquin viam aperuerat ipse Bossuet: *Defensio declarat.*; *Coroll.* § VIII, post init.

deinde aliquid erroris se deprehensuros sperabant (1). Jam verò illas omnes plùs minùsve sinceras interpretationes Concilium Vaticanum authenticè pro nobis Catholicis resecurit, declarando nimirum R. Pontificem infallibilitate pollere « cum ex cathedrâ loquitur, *id est, cum omnium* » *Christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens, pro* » *supremâ suâ apostolicâ auctoritate, doctrinam de fide vel* » *moribus ab universâ Ecclesiâ tenendam definit.* » Quod cæterum et *requiri* et *sufficere* è principiis huc usque positis facile demonstrabitur: etenim

Ex huc usque probatis, infallibilitate tunc certè Papa fruitur est quando munus suum Centri et Capitis Ecclesiæ itemque Confirmatoris fratrum ita pleno ac universali modo exercet ut, si erraret, nullus ampliùs superesset modus quo Ecclesia jam subsistere posset ipsi unita, prout à Christo constitutum est; nullus etiam modus, quo ipse dici adhuc posset Confirmator fratrum indefectibilis. Hæ sunt quippe duæ invictæ rationes quibus infallibilitas illius demonstrata est (n. 40 et 42). Ubi autem non planè locum habent, ille assistentiâ quidem aliquâ frui probabi-

(1) Ita, v. g., Bailly, (apud Catholicos, in *Indice* librorum prohibitorum jam relatus): *Tr. de Eccl.* c. XIV, art. 3; — Etc... — Unde, ne in istas adversariorum tendiculas quidam, infallibilitatis pontificiæ studiosi sed non secundum scientiam, sese præcipites darent, monebat sapienter Ballerini, op. cit., c. XV, § 10, p. 1217, et *App. de Infall. pont.*, § 10, p. 1253, 1254. — Rursus autem contra jam definitam à S.S. Conc. Vaticano Infallibilitatem idem *sophismatum* genus intorsit D. Schulte, *Veterum*, ut aiunt, *Catholicorum* in Germaniâ antesignanus, innumeros nempe Rom. Pontificum actus indubiè, juxta ipsum, culpandos in totidem traducens judicicia doctrinalia *ex cathedrâ*. Illius autem *sophismatibus* dissolvendis incumbit DD. Fessler in op. vulgatissimo: *La vraie et la fausse Infaillibilité des Papes*; in quo tamen cl. Auctor, totus forsàn nimium unicè occupatus in ostendendo non reverà illic adesse judicicia *ex cathedrâ*, vituperium à multis incurrit tum aliquando nimium restringendi objectum infallibilitatis, tum absque sufficienti justificatione relinquendi actus plurimos facilè justificabiles.

liter censori potest, non autem completâ et certâ prout ad fidem obligandam necesse est.

Hinc igitur ut Papæ sententia certò habeatur infallibilis, non satis est ipsum ut privatam personam privatumve doctorem agere, putâ in colloquiis familiaribus, in libris à se editis, etc. (1); sed necesse est — 1 — ipsum agere ut Doctorem publicum, i. e., « omnium Christianorum pastoris et doctoris munere fungi. »

(1) Cfr Bened. XIV, et auctoritates quas citat: *De Synodo diœces. præf.*, ap. Migne, *Theol.*, t. XXV, p. 804.

Hinc porro acriter disputatum est utrùm infallibilitas papalis dici possit *personalis*... Quod mera logomachia videtur esse. Qui enim affirmant, non de *personâ* papæ *privatâ* intelligunt, sed de *personâ publicâ* (De Fiume, Bianchi), cui privilegium istud alligatum dicunt quatenus nimirum *Papa ipse non potest illud alteri communicare* (Tolet.), et *nullius adjutorio vel societate ad idem jus exerendum indiget* (Ballerini, ap. Migne, *Theol.*, t. III, p. 915). — Quos omnes reperies citatos ab Em. Card. Manning: *Lettre pastorale*, vulgò dicta *Hist. du Concile*, p. 127-131.

Hic tamen observandum est quosdam non infimos theologos, atque imprimis Alb. Pighium negasse non quidem, ut vulgò de iis dicitur, Papam quoquo modo in fide errare posse, sed errare posse pertinaciter ita ut fiat reapse *hæreticus* (V. Pighium: *Hierarch. eccl.*, l. IV, c. VIII, fol. 170., ed. 1559; vel ap. Rocaberti: *Biblioth. Pontificia*, t. II, p. 87; et cfr Suarez mox cit., itemque D. Murray qui varias sententias recenset: *De Eccl.*, disp. XX, n. 108). Hanc opinionem acriter impugnat Bannes: *Scholast. Comment. in 2^{dam} 2^æ*, t. III, p. 57; itemque plures alii, inter quos Andr. Duval: *De supr. R. Pont. potestate*, P. 2^{da}, q. I, II et ss. (ed. Puyol, p. 99). Ad hæc autem Suarez: « Licet multi verisimiliter affirmant » (verum Pontificem posse incidere in hæresim), mihi tamen et magis pium » et probabilius videtur posse quidem Papam, ut privatam personam, errare ex ignorantia, non tamen ex contumacia. Quamvis enim efficere Deus » possit ut hæreticus Papa non noceat Ecclesiæ, suavior tamen modus divinæ Providentiæ est ut, quia Deus promisit Papam definitentem nunquam » erraturum, consequenter provideat ne unquam ille hæreticus sit. Adde: » quod hactenus in Ecclesiâ nunquam accidit, censendum ex Dei ordina- » tione et providentiâ accidere non posse. » (*De fide*, disp. X. S. VI, n. 11; item et *De Legibus*, l. IV, c. VII, 10; ap. Migne, *Theol.*, t. XII, p. 796) Cfr et Bellarmin.: *De S. Pontifice*, l. IV, c. VI; itemque Ferraris: *Biblioth. canon.*, Vo *Papa*, a. II, n. 62 et ss.

Imò non satis est illum ut doctorem publicum *aliquatenus* agere, loquendo nempe vel scribendo *ex munere suo* ad aliquid proponendum, explicandum, asserendum, probandum, commendandum, non autem ad obligationem absolutam et irrevocabilem imponendam (1); sed necesse est — 2 — ipsum agere in plenitudine auctoritatis suæ, seu (ut loquitur S. S. Concilium) *pro supremâ suâ apostolicâ auctoritate*.

Neque etiam, ut patet, satis erit si Papa obligationem quidem absolutam imponat sed quæ absque fide internâ impleri possit, — qualis esset, v. g., abstinendi à prædicatione, disputatione vel quâcumque manifestatione tali vel tali doctrinæ contrariâ, etiam sub anathematis pœnâ. Necesse est igitur — 3 — ipsum *definire*, id est, ut ait S. Thomas (2^a 2^æ q. I, a. 10 in corp.), finaliter determinare *doctrinam de fide vel moribus* (2), jubendo nempe, —

(1) Hinc rectè Ballerini (op. cit., c. xv, § 9, p. 1215): « Non omnia in » quibus S. Pontifices Apostolicam auctoritatem interponunt, sunt defini- » tiones dogmaticæ, quibus immunitas ab errore tribuenda sit, etc... » (Item et § 6, p. 1196). Cfr et Perrone: *De locis theol.*, p. I, n. 726, *not.*; itemque in *Compendio*, n. 448.

Imò, etsi S. Pontifex, in his quoque casibus, posset aliquo sensu dici doctor *publicus* utpote è munere suo loquens vel scribens; quia tamen non plenè suâ utitur auctoritate, satis solitum est theologis illum in his habere ac nuncupare quasi doctorem *privatum*. — Sic Benedictus XIV (*De canoniz. SS.*, l. I, c. XLIII, 2), postquam retulit Sixtum Papam V in consistorio pro canonizatione ejusdem Sancti concionantem disertè affirmavisse infallibilitatem R. Pontificis in canonizatione Sanctorum esse « non modò piè sed necessariò et certissimâ fide credendam, » observat inde tamen controversiam theologorum in hæc quæstione (de quâ videb. infra) minimè decisam esse, « quia, inquit, assertiones Sixti Pontificis tanquam à *privato* » *doctore* prodiisse dicendum esse videtur. »

(2) Dicitur... *de fide vel moribus* ad ampliùs explicandum infallibilitatis objectum; nam doctrina *de moribus* jam in doctrinâ *de fide* comprehensa est, utpote in suis saltem principiis revelata, proindeque habenda *de fide*. Unde, apud Doctores et Concilia, ubi de objecto infallibilitatis agitur, indifferenter dicitur *doctrina de fide* vel *doctrina de fide et moribus* (V.

sive cum anathemate, sive absque anathemate (V. suprâ, n. 40, p. 140), — illam doctrinam teneri ut revelatam.

Et quia sanè fides una eademque in Ecclesiâ esse debet, nec potest fieri ut alii in Ecclesiâ obligentur ad aliquid credendum ad quod pariter credendum non obligantur alii, non potest supponi Papam ita aliquam doctrinam definire nisi illam definiat — 4 — *ab universâ Ecclesiâ tenendam* (1), — quoquo modo cæterum iudicium suum ad illam direxerit (2).

Ergo denique patet cunctas condiciones seu potiùs ex-

cit. ap. DD. Manning, op. modò cit., p. 81-90). — Cæterum de extensione infallibilitatis Papæ, utpote quæ eadem est ac infallibilitatis Ecclesiæ, ampliùs dicitur infrâ in cap. III^o.

(1) Et certè, si definitio pontificia ad aliquam tantùm partem Ecclesiæ spectaret, jam duæ modò memoratæ (p. 159) rationes ad impossibilitatem erroris in definitione pontificiâ probandam, non vim suam omnem haberent: nec enim, in casu erroris, totam simul Ecclesiam dissolvi necesse foret; nec Pontifex in tali definitione plenitudine potestatis suæ usus esset (ut observat Daelman: *Theologia...*; *Observationes de fide*; Q. VI, Observ. 3^a; T. IV p. 181 et ss.). — Atque inde plurimi theologi concludunt R. Pontificem, — non secùs ac Concilium œcumenicum, — « eo tantùm casu » de fide pronuntiare, ubi iudicium in omnes Christifideles spectat, omnes » ligat ». Ita Melchior Canus: *De locis theol.*, l. V, c. v., ap. Migne, *Theol.* t. I, p. 382; — Maur. Capellari (Greg. XVI): *Triomphe du S. Siège et de l'Eglise*, ch. xxiv, n. 55; ap. Migne, *Dém. évang.*, t. XVI, p. 1038-1040. — Id etiam supponere videntur Suarez: *De fide*, disp. V, s. VIII, n. 4; — Billuart: *De regulis fidei*, diss. IV, a. 5; — Perrone, *De locis theol.*, P. I, n. 726; — etiamque Bellarminus: *De S. Pont.* l. IV, c. III, n. 1; c. v., n. 1 (licèt ab aliquibus pro sententiâ contrariâ citetur). — Circa varios auctores in hanc quæstionem, V. D. Patr. Murray: *De Eccl.* Disp. XX, s. III, n. 118-125.

(2) Id est, sive Pontifex ipse ad omnes episcopos illud miserit, sive ad aliquos tantùm, sed eâ semper manifestâ intentione ut in universam inde refundatur Ecclesiam. Sic, v. g., Epistola dogmatica S. Leonis Papæ circa Incarnationem (inter *Epp.* S. Leonis, 28^a) ad Flavianum C. P. dirigebatur, sed per eum Concilio œcumenico tunc Ephesi convocato communicanda erat, « ut abolito hoc qui natus videbatur, errore..., per totum mundum una sit » fides et una eademque confessio » (*Ep. 33 ad Ephesinam Synodum secundam*).

plicationes hujus unicæ conditionis, ... *ex cathedrâ*, quales à SS. Concilio Vaticano exponuntur fluere è naturâ rerum et in hoc unum resumi, quòd scilicet *Papa Ecclesiæ universæ fidem imperet* (1). Cæterum si quod dubium circâ illius intentionem suboriretur, ad ipsum profectò utpote iudicem et iudicem infallibilem pertineret suam intentionem apertiùs declarare (2).

His positis jam eliminari possunt variæ quæ à variis auctoribus, etiam infallibilitatis papalis defensoribus, perperam allatæ fuerant condiciones. — Sic, v. g., inutile est inquirere

1^o *an quæstio* circa quam definitio versatur, *pertineat ad doctrinam Christi* (3). — Huc enim referre est ea quæ de auctoritate doctrinali Ecclesiæ in genere postea, in cap. III^o, evolvuntur. Nempe, verum est quidem sive S. Pontificem sive totam Ecclesiam docentem infallibiliter definire in iis tantùm quæ pertinent ad doctrinam Christi; sed eo ipso etiam verum est non posse fieri ut sive Pontifex sive Ecclesia extra suum istud forum definire attentet: ideoque, ubi certò constat sive Pontificem sive Ecclesiam circa aliquam quæstionem definiendo pronuntiasse, eo ipso certum est hanc quæstionem reverà pertinere ad doctrinam Christi, quin necesse sit de hoc aliunde inquirere. — Neque magis necesse est videre

2^o *an Papa maturè rem examinaverit* aut *consiliarios* pro tempore usitatos, quales sunt hodie Cardinales, *secum adhibuerit*, etc. (4). —

(1) Parùm refert quàm formâ injunctio illa exprimat, putâ, *Constitutionis, Encyclicæ, Brevis*, etc., dummodò indubiè exprimat. — Hic autem quæstio moveri potest, nempe, quando Papa alicujus tribunalis à se constituti, putâ alicujus *Congregationis*, iudicium, in materiâ doctrinæ, approbat ac publicari mandat in nomine tamen hujus tribunalis, an eo ipso Auctoritatis suæ plenitudinem iudicio huic adjiciat perinde ac si in nomine proprio ederet? — De hac quæstione V. *APPENDICEM VII^{am}*.

(2) Cfr. Em^{mm} Card. Manning *L'histoire vraie du Concile du Vatican* (Baltenweck, 1875), opus distinctum ab illo quod huc usque citavimus, § V n. 9, p. 123.

(3) Gregor. XVI, loco modò cit.

(4) Joan. à Turrecrematâ: *Summa ecclesiast.*, l. II, c. cxii, p. 361, quem ideo impugnat Bossuet: *Def. declar.*, l. X, c. xiv. — Item et quidam de quibus V. Bellarminus: *De S. Pont.*, l. IV, c. II, 9.

Ita enim quidem ille regulariter procedere debet ne fiat *quasi homo qui tentat Deum* (Eccl. i., xviii, 23); sed Deus illi etiam ita tentanti non deesset; supradicta enim conditio ex illis est quarum defectus culpâ quidem non vacat sed effectum impedire nequit (1); vel potius atque ad solitas Providentiæ vias convenientius, Deus efficaciter providebit ut illa nunquam deficiat (2). Certè, qui promisit finem, h. e.,

(1) Ita Hier. à Bennettis : *Privilegiorum Rom. Pont. vindiciæ*, t. I, p. 5. — Ita et Philipps, art. *Pape* : *Dictionn. de la Théol.*, trad. par Goshler, t. XVII, p. 142.

(2) Ita Bellarmin., quem legere est : *De S. Pont.*, l. IV, c. II, 9. — Ita et M. Canus : *De locis theol.*, l. V, c. v; ap. Migne, *Theol.*, t. I, p. 377; — Ballerini : *De vi primatus*, c. xv, § 6, ap. Migne, c. III, p. 1197, 1198; — DD. Manning, *Hist. du Conc.*, p. 145-148; — etc. — Et sic, de facto saltem, semper evenisse docet Concilium Vatic. : « Romani autem Pontifices, prout temporum et rerum conditio suadebat, nunc convocatis œcumenicis Conciliis, aut exploratâ Ecclesiæ per orbem dispersæ sententiâ, nunc per synodos particulares, nunc aliis quæ divina suppedabat Providentiâ, adhibitis auxiliis ea tenenda definiverunt quæ sacris Scripturis » et apostolicis Traditionibus consentanea, Deo adjutore, cognoverant » (Constit. *De Eccl.*, cap. IV).

Unum hic observandum est, scilicet : si medium quoddam exterius informationis, putâ, deliberatio cum episcopis vicinioribus aut Cardinalium consultatio, pro signo supremæ injunctionis pontificiæ consueto, in aliquo sæculo, habeatur, tunc illud profectò, eo tempore, generatim requirendum erit ut certa ac infallibilis definitio censeatur. Hujusmodi conditiones non tam theologicæ dicuntur quàm *historicæ*. Atque ita reapse in prioribus sæculis, habita fuisse videtur synodica rei collatio cum concilio episcoporum Italiæ vel saltem cum presbyterio Ecclesiæ romanæ. V. Coustant; *Præfatio in Epist. Rom. Pont.*, n. 33 et ss., et cfr p. 867; — Marchetti : *Crit. de Fleury*, art. I, § VIII; — Muzzarelli : *De auctorit. R. Pont.*, t. II, p. 185. — Imò et Thomassinus (*Dissert. in Conc.*, Diss. XX, n. 15-17) censet aliquid hujusmodi in signum definitionis ex cathedrâ semper haberi, licet diversimodè pro temporibus; atque in hoc tantum sensu acta *Sedis* ab actis *Sedentis* distingui t.

Ex illâ observatione, jam facilius explicare est, uti jam inuimus (p. 157 in *notâ*), S. Cypriani contra Stephani Papæ decretum obsistentiam, præsertim quum S. Augustinus (*De Bapt. contra Donat.*, l. II, c. IX, n. 14) ostendat Cyprianum « si quod de hac re *transmarinum* (i. e., *italicum* seu *romanum*) vel universale Concilium factum esset, fuisse commemoratum » (atque, ut verisimiliter colligere est, sese illi conformaturum).

inerrantiam Pontificis, media etiam aut providebit aut supplebit, ita ut non necesse habeamus de iis inquirere : secus enim, talis promissio, ut ait Bellarminus, « parum profdesset. » — Neque certè magis necesse est exploratum habere, sicuti quidam etiam volunt,

3° *an Papa sibi consentientem habeat ecclesiam Romæ particularem* vel ejus clerum aut ipsius saltem titulares, i. e., Cardinalium collegium (1). — Non enim populo clero romano neque etiam Cardinalium collegio promissa est infallibilitas, sed Episcopo romano, utpote successori Petri proindeque Ecclesiæ Centro. Neque romanus populus aut clerus atque ipsi Cardinales hanc infallibilitatem participant nisi in quantum suo huic Episcopo adherent et sic cum ipso ecclesiam particularem efformant (juxta definitionem S. Cypriani infra afferendam) — (2).

4° Tandem, de aliâ prorsus conditione quam ipsi vel acerrimi infallibilitatis papalis propugnatores requirere solent, *an, scilicet, Papa, in definiendo, non vi ac metui notoriè cesserit* (3), nos — ingenuè fatemur, — minimè curandum esse censemus : quantacumque enim cam requirentibus habeatur reverentia, potior nobis videtur logica quæ talem conditionem superfluum demonstrat. Assistentia nempe Christi promissa est absolutè, et, quemadmodum contra propriam hominis levitatem aut aliorum suasionem, ita et contra timores prævalere debet, ne privilegium istud ferè inutile pro Christianis evadat. Secus

V. *Dissert. théol. sur la célèbre dispute entre le pape S. Etienne et S. Cyprien*...., auctore Corgne, 1725.

(1) Ita Fénelon, qui etiam in eo sensu, licet *mente minimè Gallicanè* (suprà p. 143 in *notâ*), distinctionem *Sedis* ac *Sedentis* admittit (V. *Dissert. de S. Pont. auctor.*, c. I et II. — Cfr *Hist. littér. de Fénelon*, 4e p., n. 90 et ss.). — Ille, nempe, 1° clero etiam Urbis pontificalis privilegium inerrantiæ extendendum putavit, è nimia, ut videtur, sollicitudine ne Ecclesia omni Centro determinato, vel per aliquod tempus, careret, quando scilicet vacat Pontificatus : — item et 2° cleri ejusdem consensum definitioni Pontificiæ semper adjungendum existimavit ut constet Papam non privatim et personaliter sed è cathedrâ et pontificaliter pronuntiare : — quod certè ex injunctione toti Ecclesiæ factâ sufficienter constare potest quin necesse sit consensum cleri romani exquirere.

(2) Cfr Muzzarelli : *L'infallibilité du Pape* (inter Opusc.) §§ XIV et XV.

(3) Ballerini : *De vi primatus*, c. xv, § 6 et 8, p. 1196, 1207; — Bouix : *De Papâ*, t. I, p. 238, t. II, p. 286 et ss.; — etc.

quippe, ii sæpe timere possent ne definitio à Pontifice extorta sit per aliquem metum, maximè quum verisimiliter homines non defuturi sint qui tales libenter spargant rumores; — neque proinde actum fidei securè emittere valerent (1).

(1) « At, inquires forsàn, illum fidei actum emittere valebunt ac debebunt quotiès de metu Pontifici incusso non notoriè constiterit. Si enim definitionem ita ab eo extorqueri accideret, Deus certè illud etiam innotescere provideret; proindeque, ubi nihil hujusmodi innotescit, pro certo tenendum est nihil hujusmodi accidisse. » (Ita D. Bouix, locis cit.)

Resp. : Nùm autem etiam certum est quod pontificia definitio et metus quo vitiatur, uno semper eodemque tempore in notitiam cuiquam venient?... Si enim definitionem latam primùm didiceris, nullà adhuc de metu mentione factà, actum fidei emittere debes; si quid autem postea de metu incusso audieris, illum ergo actum jam habebis retractandum!... Nisi fortè miracula ultra modum à Deo exigere velis, ut, scilicet, nulli hominum unum absque altero unquam nuntiari contingat!... Quàm simplicius certè ac sensui promissionum Christi obvio convenientius, ut Deus Pontificem ab errore non solum spontaneo vel instillato sed extorto etiam et imposito immunem faciat, sicuti reverà huc usque eventu comprobatum est!

Unum equidem scio mihi huc objici à pari, ut putant, argumentum atque exemplum, è Conciliis scilicet generalibus depromptum, quorum nempe decreta, ut communiter admittitur, vi et metu vitiari possent, uti evenit in Ephesino II Concilio seu potius *Latrocinio* (V. ap. Blanc : leç. XLV, 6). Essentiale autem intercedit discrimen : etenim Concilia generalia, uti postea, in art. seq. dicitur, quum nunquam generatim (si S. S. Concilium Vaticanum excipias) majoritate episcoporum absolutè constiterint, non censi potuerunt infallibilia nisi in quantum apparebat mentem totius Episcopatus, cui in Collegio apostolico assistentia Christi promissa est, fideliter ab iis representari : quod certè, ubi vis ac metus adhibetur, jam fit incertum. Verùm, ut observat Bouvier (*Tr. de Eccl.*, ubi de *regulis in Conciliis servandis*) « si contingeret aliquam Synodum ex majori numero Episcoporum totius orbis coalescere, tunc nec minis, nec plagis, nec fraude aut » deceptionibus à vero deflecteret »; nam « promissiones Christi sunt absolutæ, ac proinde cum tali defectione conciliari non possunt. » (Cfr et DD. Ginoulhiac : *Le Conc. œcum.*, p. 46). Et, secùs, valedicendum foret omni pene auctoritati infallibili; nec alià ratione famosus P. Laborde (V. suprà, p. 86) ad Multitudinismum nos cogere nititur (*Du témoign. de la vérité*, p. 96, 156). — Porro Papa etiam habet promissiones absolutas : non aliquem infallibilem representat, sed est ipse infallibilis; non ergo ille Concilio sed Episcopatu ipsi saltem æquiparandus est. Nec aliter dici

44. — Observatio circa facta contra infallibilitatem papalem allegata. — Jam ritè intellectis definitionum infallibilium conditionibus, facilè inde solventur ea argumenta quæ adversarii eruere satagebant è quibusdam historiæ factis. Et ea quidem argumenta jam dudum derelicta videbantur à plurimis Gallicanis, qui etiam ultrò nobiscum difficultates inde emotas enodere allaborabant (1). Quia tamen nuper, Concilii Vaticani tempore, paululùm refricata sunt, paucis juvat ea resolvere, ostendendo nempe Pontifices qui in medium proferuntur, aut non errasse, aut certè non injungendo Ecclesiæ fidem.

Ii porro qui incusantur, sunt præsertim Liberius in iv^o sæc., Vigilius in vi^o, Honorius in vii^o, etc.

Atqui 1^o Liberius, etiamsi admittatur, — quod valde controvertitur (2), — ipsum è Romà abductum arianæ factioni tandem in aliquo cessisse, nihil certè Ecclesiæ injunxit, mandavit vel rescripsit, ita ut incertum remaneat in quo deliquerit, si deliquit (3).

2^o Vigilius incusatur quidem contradictionis proindeque erroris circa *Tria Capitula* Theodori, Theodreti et Ithæ (4), quæ nempe visus est primùm damnare per *Judicatum*, deinde à damnatione defendere per *Constitutum*, ac demùm definitivè damnare per *Decretum*. Verùm oporteret adversarios demonstrare quod certè non demonstrabunt, scilicet, — 1 — *Judicatum* et *Constitutum* verè fuisse definitiones ex se irreformabiles; et — 2 — in iis actum esse contradictoriè circa fidem aut saltem circa *factum dogmaticum*, i. e.,

posset simpliciter « eà infallibilitate pollere quâ divinus Redemptor Ecclesiæ suam... instructam esse voluit. » (*Conc. Vatic.*, in Definitione Infallibilitatis.)

(1) Ita, v. g., Tournely : *De Eccl.*, t. II, p. 183 et ss.

(2) V. P. Stilling, inter Bollandistas, T. VI Sept. p. 598 et ss.; — Etc.

(3) V. Blanc : *Cours d'hist. eccl.*, leç. LI; — Wouters : *Dissertationes select.*, t. II, Diss. XI, p. 109; — Etc. — Cæterùm ipse Bossuet, teste Ledieu ejus secretario, ea quæ de Liberio in *Defens. Declar.* reperire est, delere jusserat « tanquam ad suum scopum non pertinentia. » (V. not. in edit. Versal., l. IX, c. xxxiii).

(4) In hoc negotium V. etiam Blanc, leç. LXXIV; — aut, si eruditius rem persequi velis, *Dissertationem* Petri de Marca, ap. Labbe, t. V, p. 601, Mansi, t. IX, p. 419, vel etiam, cum documentis ipsis, ap. Migne, *Patr. Lat.*, T. LXIX.